



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 130. Conjuratio in Nicolaum Papam a Stephano Porcario mota

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

adjutus copiis Regis Alphonſi, quocum Sæcul. XV.
 arctam amicitiam contraxerat. Ast, A.C. 1453.
 cum præcipuus ipſius Bellidux, qui Moy-
 ſes vocabatur, ſeditionem moveret, re-
 gnum ejus ad extremas pene anguſtias
 redactum fuiſſet, niſi Scanderbegi pru-
 dentia turbas ſedafſet, cum ipſum per-
 duellium caput non modo ad officium
 reduxifſet, ſed etiam in priſtinam amici-
 tiam, ac humanitatis officia rara proſus
 magnanimitate eundem recepifſet.

§. CXXX.

*Conjuratio in Nicolaum Papam a
 Stephano Porcario mota.*

Nicolaus V. ſub prima Pontificatus ſui Antonin.
 auspicia certum quemdam, nomine tit. 22. cap. 12
 Stephanum Porcarium, qui ſtatum Ec- ſ. 4.
 cleſiæ turbare tentaverat, Bononiam re-
 legabat, cum mandato, ut ſingulis quibus- Æn. Sylv.
 que diebus Beſſarioni Cardinali, qui Europ. c. 54.
 tum urbis Gubernator erat, ſeſe liſteret:
 Verum Stephanus ſimulata ægritudine Platin in
 Cardinalem ſtudioſe circumveniens, clam Nicol. V.
 Romam rediit, ubi ſeſe eorum factioni
 adjunxit, qui cum illo conſpiraverant,
 & non niſi opportunam populum conci-
 tandi occaſionem avidè præſtolabantur.
 Hos inter decretum erat, ut ſolemni E-
 piphaniæ die populum Romanum ad li-
 bertatem expetendam ſumptis armis
 incita-

Sæcul. XV.

A.C. 1453.

incitarent, simulque Pontificem, ejusque Cardinales eodem die in æde D. Pauli sacra facturos caperent; hunc in finem etiam catenam auream paraverant, qua Pontificem vincirent, non quidem, ut mox neci darent, sed, ut inquiebant, tamdiu captum detinerent, donec ipsi arcem S. Angeli occupassent. Papa accepto conjurationis hujus nuncio, Porcarium Romæ quam diligentissime conquiri, atque ex quadam cista, cui sese incluserat, extractum comprehendi, confessumque ad mortem condemnari jussit, qui proin ad muros arcis S. Angeli suspensus est. Complices quoque partim in eadem, ubi conveniant, domo, partim in præfata arce, partim in Capitolio idem supplicii genus subierunt, ex quibus unus Baptista Sciarra per medias Pontificis cohortes viam gladio sibi aperiens effugit, nec ultra unquam comprehendi valuit.

§. CXXXI.

Alvari Lunæ infelix exitus.

Marian. lib.
22. c. 12. & 13

Hoc eodem anno Alvarus Luna Joanni Castellæ Regi amicissimus meritas scelerum poenas dedit. Mariana hunc Virum describens ait: Fuit in eo ardens ingenium, aptus sermo, sed cum aculeo facetus, profunda calliditas, atque simulatio, audacia, superbia, & ambitio, ex quibus